Quelle: http://manuscripta.at/?ID=26086
Copyright: Admont, Benediktinerstift

salutis et recuperatio perditae dignitatis. Dum ergo Aste-
rius cerneret in tenebris luciflum radiare fulgorem
et tetra tersi caligine lumen splenderet de lumine
cepit et ipse lumen uerum inquirere et quo or-
dine ipse et sui salui fierent sollicitus indagare.
Percepto igitur a beato ualentino dominice ablutionis cum
suis omnibus fonte et roboratus per ipsum catholica fide.
cum requisisset claudius asterium principem et cognouis-
set eum ob illuminationem eius filiae adoptiuae fuisse
christianum. misit milites et tenuit omnes quos inuenit.
in domo eius. et sibi presentari fecit. Asterium denique in
ciuitatem hostiam uinctum duci precepit et ibi penarum ex-
aminatione deficere. Valentinum uero presbiterum fustibus
cedi. et capitali interire sententia. Qui decollatus
est uia flaminea sub [illegible] die. xvi. kl. martias.
Cuius corpus colle[illegible]git quedam matrona no-
mine [illegible] sauinulla. et sepeliuit in eo-
dem loco ubi decollatus est.

CUM CETERA SANCTORUM martyrum
acta reuoluimus animis nos desidiis torpentes agno-
scimus. quia cum illos sceleratorum mucrones terrere ne-
quiuerint. nos uero exigua molestia perturbat. Igitur
si uolumus ad beatorum martyrum usque peruenire certami-
na. prius ortus tempus finisque eorum indagandus est. Eo
igitur tempore [illegible] lap [illegible] quo perfidus Adrianus imperator
totum quadrato [illegible] cardine mundum cepit magis
perturbare quam regere ac numerus christianorum diui-
no auxilio pubescere. tunc claruerunt in urbe bra-

∴ uerborum